

C O P I A

*Literarum, quibus*

**CVRLANDIÆ PRINCEPS**

**S. R. Majestatis Polon. & Svec.**

ad colloquium pontificiorum Chari-  
tativum invitatorijs, re-  
spondet.

C V M

**RESPONSORIIS**

**S. R. Majestatis Polon. & Svec.**

ad Curlandiæ Ducis  
responsorias.

---

**ANNO M. DC. XLV.**

E XIV<sub>400</sub>

ANNO M DC XLV



Vantum curæ S. R. Majtt. V. impen-  
derè voluerit, tranquillandis etiam dissi-  
dentium animis in religione, Pace inclyto  
Poloniæ Regno annexisq; provinciis  
tandem repositâ, ex literis, debitâ re-  
verentiâ acceptis, abundè intellexi. Quibus & me  
hortatur, velin ad diem 10. Octobris Thornium aman-  
dare meos, qui salvo omnibus Iuribus cum aliis eò loci  
congregatis hæcæ Religionis differentias suscipiant  
complanandas. Equidem observantiæ meæ esse satis  
mecum perpendi voluntati me huic Regiæ accommo-  
dare, Quam etenim Regiam Majestatem velut alte-  
rum meumparentem summâ semper revèrentiâ veneror,  
gravissimum mihi sanè esset offendere eandem, ut  
Dominum meum Clementissimum, fieri tamen minime  
posse humiliter mihi persuadeo, ut ægrè ferat Sac:  
Reg: Majestas V. si ea submissè & breviter pro-  
feram quibus leges hujus ducatus fundamentales vi-  
debantur conservari. Dedit fidem sanctèq; rece-  
pit & promisit Dn: Sigismundus Augustus Po-  
loniæ Rex Sac: Reg: Majestatem (verba sunt  
provisionis ducalis) tam ipsi Curlandiæ Ducis, quam  
civitatibus aliisq; subditis, cujuscunq; ordinis vel  
status fuerint, liberum usum Religionis cultusq; di-  
vini & receptorum usum secundum Augustanam  
Confessionem in Ecclesiis totiusq; rei ecclesiasticæ  
administrationem, sicut eam antea habuerunt, liberè

permissuram, nec in ea ullam mutationem facturam,  
neque ut ab aliis fiat permissuram. Simili modo ille  
idem Rex Sigismundus Augustus Nobilitati hujus  
Ducatus sancte cavere voluit, ut sacrosancta (Ver-  
ba sunt privileg: Nobilitatis) & inviolabilis Nobi-  
litati maneat Religione, quam juxta Evangelica A-  
postolicaque Scripta purioris Ecclesie Nicenae Syno-  
di Augustanamque Confessionem hactenus servavit,  
nec in illa ullis, sive Ecclesiasticorum sive seculari-  
um prescriptis, Censuris & Adinventionibus gra-  
ventur, turbenturque quovis modo. Quod si praeter  
Spem acciderit, illi tamen juxta sacrosanctae Scriptu-  
rae normam, quam praecipitur plus Deo, quam homini-  
bus obtemperandum esse, suam retineant Religionem,  
consuetasque Ceremonias, neque se ulla ratione avelli  
sinant. Si vero errores, quorum malus ille Daemon  
author est, in illa suboriri contingat, ut hisce dirimen-  
dis tollendisque Evangelici Apostolicique Doctores pu-  
rioris Ecclesie Augustanae confessionis adhibeantur.  
Sanctissima haecce privilegia, & suae Majestatis  
regiae successores divi Poloniae Reges, & ipsa S.  
R. Majestas V. Dominus meus Clementissimus,  
pacis amantissimus, Iurium & Pactorum Tutor con-  
stantissimus iteratis Juramentis habuerunt ratum &  
confirmarunt, nec in dubium vocari aut immutari  
unquam voluerunt. Imo Serenissimus Poloniae Rex  
Dominus Sigismundus III. Vestrae Majestatis Re-  
giae

giæ Dominus Parens laudatissimæ memoriæ, tantum  
absit, ut in hisce ullam mutationem fieri permiserit,  
ut per Commissarios autoritate comitali Anno  
1617. in hunc Ducatum missos, leges fundamentales  
in Punctum quoq; stabiliri adhuc firmasq; lege perpe-  
tuâ fecerit, impetrato saltem assentiente Duce Fri-  
derico universaq; nobilitate libero catholicæ Religi-  
onis æque ac Augustanæ confessionis exercitio. Le-  
gibus igitur hisce fundamentalibus cum universa no-  
bilitate firmiter innixus humillimè confido. S. Reg:  
Majestatem V. hoc mihi in obedientiâ minimè datu-  
ram, quod illæsis illis ad colloquium Thornicense ab-  
legare meos integrum mihi non fuerit, sed necessita-  
tem hanc declinandi ab illo colloquio maxime urgentem,  
quod unâ cum nobilitate humilimis precibus rogo, be-  
nigissimè inter pretaturam, ac Iura & Privilegia,  
tam mea quam Nobilitatis D. Prædecessorum suo-  
rum, Serenissimiq; Domini parentis gloriosissimæ me-  
morie exemplo laudabili sarta teclâq; conservaturam,  
nullatenusue permissuram esse, ut colloquentes Nobis  
quicquam inferant præjudicii. Erit hoc Sac. Reg.  
Majestati V. admodum gloriosum, & ego universaq;  
Nobil. pro servitio S. R. Majestatis V. facultates,  
Corpora & vitam ipsam supplices devovemus. Deus  
eamdem quam diutissimè sospitet & fortunet. Datum  
Mitavie. Die V. Mensis Septembris  
M. DC. XLIV.

RESPONSORIÆ  
S. R. Majestatis Polon & Svec. ad Cur-  
landiæ Principis respon-  
sorias.



**I**LLVSTRIS Princeps: accepimus  
litteras Ill. V. sanè impertinenter scrip-  
tas, & forsitan ab Ill. V. non expen-  
sas, nec lectas, ex quibus intelligimus,  
Ill. V. magnà cum animi perturbatione  
requisitionem nostram, de ablegandis suis ad Colloqui-  
um charitativum Thoruni institutum accepisse. Equi-  
dem vehementer mirati sumus, invitationem hanc ad  
memoratum congressum in malam partem ab Ill. V. tra-  
hi, allegariq; leges & fundamenta Ducatus Curlandiæ,  
ea peti & infringi, unaq; indoluimus, Ill. V. asserere,  
liberum usum Catholicæ Religionis, quasi antea omni-  
nò ex Ducatu Curlandiæ immediatè principi catholico  
subjecto, exclusam precario Friderico, qui eundem ma-  
gno beneficio Reipublicæ obtinuit, concessum vigere.  
Quæ sanè acerbitas eò plus in nobis augetur, quò magis  
consideramus Religionem Catholicam, quæ unà cum  
moribus & institutis hujus reipublicæ crevit, domina-  
riq; tanquam hospita & non ancillari confessioni Augu-  
stane debeat, tam magnas amplitudineq; sua indignas  
pati Injurias, ut ægre locum exercendæ devotionis suæ  
ibi inveniatur, ubi tam altè radices egerat. Quæ res, cum  
longè aliter se habeat, quam ab Ill. V. inter pretatur,  
nec

nec eo colloquio fratèrno mutationem aliquam legum  
fundamentalium in Puncto quoq; Religiois intendamus,  
sed pacis fructibus desideria subditorum nostrorum re-  
ficere studeamus; benignè ab Ill. V. requirimus, ut in-  
tentionem sollicitudinèq; hanc nostram, quam immuni-  
tatibus, Privilegiis, consuetudinibus nos Ducatus  
Curlandiae nec aliarum provinciarum, civitatumq;  
quamvis & populorum minimè exitiosam esse volumus,  
in meliorem partem interpretari, & ad dictum congres-  
sum, quem ex certis rationibus auctoritate nostra regia  
ad diem 28. Augusti anni sequentis 1645. prorogavi-  
mus, suos destinare & ablegare velit, qui unà cum alijs  
dulci colloquio Christianae charitatis & collationis fra-  
ternæ id agere possint, quod in omnes Regni nostri po-  
pulos vim salutis queat diffundere. Quod Ill. V. po-  
steaquam eò diligentius expenderit, rationesq; instituti  
nostri trutinaverit, facturam non dubitamus. Cui  
de Cætero optimam Valetudinem preca-  
mur. Datae *Varsaviae*.



